



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Solvuntur objections

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](#)

DISPUTATIO SECUNDA

lem intellectuonem : Ergo nisi intellectus divinus concipiatur constitutus expressione intellectuonis actualis, erit conceptibilis perfectio aliqua creatura, actualior intellectu divino.

66 Denique suadetur conclusio : Ut intellectus divinus haberet rationem potentiae, ex parte rei conceptae, & non solum ex modo nostro significandi, & concipiendi res divinas per similitudinem & analogiam ad creatas, deberet esse fundamentum in Deo, ut illius intellectus conciperetur per modum principii, & causa influentis in divinam intellectuonem : Sed non est tale fundamentum in Deo : Ergo &c. Major constat, de ratione enim potentiae intellectiva, est influere per modum principii & causae in actuali intellectuonem. Minor autem probatur. In Deo non est fundamentum ut illius intellectuonis aliqua imperfectio a nobis tribuatur : Sed concipi intellectum divinum, ut causam intellectuonis, & hanc ut ab illo causatam, est concipi ut imperfectam, dependere enim & causari, maxima imperfectio est : Ergo in Deo non est fundamentum ut illius intellectus concipiatur a nobis, ut intellectuonis causa, & ejus intellectio, ut ab intellectu causa.

Confirmatur. Non minor imperfectio est intellectuonem divinam esse ratione nostrâ causam ab intellectu, quam ratione nostrâ cum illo componere : Sed in Deo non est fundamentum, ut ratione nostrâ Dei intellectio cum intellectu componatur : Deus esset capax compositionis metathysicae, qua actui puro repugnat, ut ostendimus infra, quando agemus de simplicitate Dei : Ergo non est fundamentum in Deo concipiendi ejus intellectum, per modum principii & causae influentis in divinam intellectuonem.

S. II. Solvuntur objectiones.

67 Objicies primò : Quæ differunt definitione, distinguntur virtualiter in Deo : Sed natura intellectiva, intellectus, & intellectio in Deo, definitione differunt ; natura enim definitur principium radicale intelligendi & operandi intellectus, facultas proxima ad intelligentium, & intellectio, ultima actualitas linea intellectuialis : Ergo illa distinguntur in Deo virtualiter, ac proinde in ipso admittenda est potentia intellectiva, virtualiter ab intellectuonē essentiā distingue.

68 Respondeo secundò, negando absolutè Majorem, nam essentia & natura definitione differunt, cum illa per ordinem ad esse, hæc autem per ordinem ad operationem definitur, & tamen virtualiter non distinguntur in Deo, alias (ut supra arguebamus) primum Dei attributum, esset concepsus naturæ.

Respondeo secundò, distinguendo Majeorem : quæ differunt definitione ad æquatam, concedo : inadæquatam, nego. Similiter distinguo Minorē : in Deo natura intellectiva, intellectus, & intellectio differunt ; definitione adæquatam, nego : inadæquatam, concedo.

69 Explicatur : Natura intellectiva, intellectus, intellectio, species, & objectum, cum ad eandem lineam intellectualem pertineant, identificantur in Deo sineulla distinctione, etiam virtuali, & distinguuntur solum penes diversa munera inadæquatam quæ præstant, & per analogiam, ad creaturas, in quibus hæc, ratione limitatio-

A nis & potentialitatis creaturæ, realiter distinguuntur : Unde si natura divina, adæquate & ut est in se, ac prout à divino intellectu concipiatur, definiretur, cum illa sit aactus purissimus & infinitus, in tali definitione, deberet ingredi formalissimè ipsum intellectu geræ actualissimum, aliaque formalitates ad lineam intellectualem spectantes : Sed quia à nobis natura divina, inadæquate definitur, sicut inadæquate & imperfecte cognoscitur, ideo in ejus definitione tantum exprimitur munus radicis, & causæ virtualis, quod gerit essentia divina respectu attributorum, non autem ratio intellectus, vel intellectuonis, aut species ; quamvis hæc omnia spectent ad eandem lineam, & divinam naturam constituant.

Objicies secundo : Potentia intellectiva, virtualiter ab actuali intellectu distingue, nullam dicit imperfectionem : Ergo est in Deo admittenda. Consequentia patet, Antecedens autem ostenditur primò. Eo ipso quod principium intellectuonis, sit cum illa identificatum omni identitatibz reali, est infinita perfectionis, & supremæ actualitatis : hæc enim non possunt realiter identificari, nisi in ente infinito, & auctu purissimo : Ergo potentia intellectiva, virtualiter tantum ab actuali intellectu distingue, nullam dicit imperfectionem.

Confirmatur : Ponenia intellectiva virtualiter tantum ab actuali intellectu distingue, non caret actuali intellectu, nisi tantum quoad explicitum, cum inclusione implicita illius : Sed carentia actualitatis tantum quoad explicitum, cum inclusione implicita illius, imperfectionem potentialitatis non dicit : Ergo potentia intellectiva virtualiter ab actuali intellectu distingue, nullam dicit imperfectionem.

Secundò probatur idem Antecedens principale. Principium virtuale volitionis essentialis, seu natura intellectualis quæ sit radicaliter tantum volitiva, admittitur in Deo sineulla imperfectione : Ergo pariter principium virtuale proximum aut radicale intellectuonis essentiæ, nullam in Deo imperfectionem importat.

Respondeo negando Antecedens : ad cuius primam probationem, nego etiam Antecedens : ut enim suprà ostendimus, de ratione auctu purissimi & infiniti est, ut omnes formalites ad eandem lineam spectantes, identificantur sine distinctione etiam virtuali : undè cum natura intelligens, vis proxime intellectiva, & actualis intellectio, ad eandem lineam intellectualem pertineant ; ponere in Deo potentiam intellectivam, virtualiter ab ejus natura, & actuali intellectu distingue, aliquam dicit imperfectionem, actui purissimo repugnantem. Ex quo patet responsus ad confirmationem, Minor enim neganda est, quia (ut suprà ostendimus) expressio ultimæ actualitatis propriæ lineæ, debetur cuiilibet perfectioni divinæ, alioquin, ut ibidem arguebamus, daretur aliqua creatura, quæ in suo conceptu, majorema actualitatem exprimeret, quam divina perfectio.

Ad secundam probationem principalis Antecedentis, patet etiam responso : concessio enim Antecedente, consequentia & paritas neganda est. Ratio disparitatis est, quia volitio, cum sit inclinatio consequens ad naturam intellectualem, etiam reluti modificans, & trahens ad aliam lineam, virtualiter distinguuntur in Deo à natura, sed etiam principium virtuale proximum aut radicale intellectuonis, cum hæc sint intra

intra eandem lineam: non repugnat autem divina natura, quod, nostro modo intelligendi, se habeat ut radix alterius operationis in alia linea; bene tamen quod intra eandem lineam, distinguuntur conceptus actus primi & secundi, & principii radicis & proximi: quia esset in illo generi deltrire rationem actus purissimi.

⁷³ Instabis: Scientia, sapientia, prudentia, ars, & intellectus principiorum, pertinent ad eandem lineam intelligendi, & tamen distinguuntur virtualiter, & attributualiter à divina natura: Ergo quamvis natura intelligens, vis proxima intelligendi, & actualis intellectus, sint intra eandem lineam, hoc tamen non obstat, quin ea virtualiter distinguantur.

Respondeo scientiam, sapientiam, prudentiam, artem, & intellectum principiorum esse in eadem linea generice cum divina natura, nempe in linea intellectuali, quæ divisibilis est per peculiares modos intelligendi; non autem in eadem linea specificè; & ideo inconveniens non est, quod distinguantur à divina natura, & hæc sit virtuale illorum principium: intellectum autem & intellectione actualem, esse in eadem linea specificè; ac proinde astrarere intellectum in Deo, quisit virtuale principium intellectus ab aliis potentialitate, & consequenter absque imperfectione nemo potest. Ratio autem ob quam intellectus & intellectio, sint intra eandem lineam specificam: secus autem scientia, sapientia, prudentia, ars, & intellectus principiorum, est quia identitas vel diversitas specifica linæ divinarum perfectionum, attenditur & sumitur ex identitate, vel diversitate objecti formalis: intellectus autem, & intellectio essentialis in Deo, idem objectum formale respiciunt nempe essentiam divinam, ut habet rationem primi veri, & primi intelligibilis: secus autem intellectus principiorum, sapientia, scientia, prudentia, & ars, habitus enim principiorum attingit essentiam divinam, ut immediatè in se cognoscibilem, scientia ut habet rationem causæ simpliciter, sapientia ut habet rationem causæ altissimæ, prudentia & ars ut est ratio agibilitum & facultatum, ut latius expomemus in Tractatu de Scientia Dei.

⁷⁴ Obiectum tertium: Datur in Deo potentia ad actus notionales, v.g. ad generationem & spirationem, ut expressè docet D. Thomas i.p. qu. 41. art. 4. Item idem S. Doctor eadem parte qu. 25. art. 1. admittit in Deo potentiam operativam ad extra, & producivam creaturarum: Ergo similiter potest in Deo admitti potentia intellectiva, virtualiter ab intellectione essentiial distingue. Consequentia videtur manifesta, tum ex paritate rationis, tum quia potentia operativa ad extra est intra eandem lineam cum operatione actuali: Ergo similiter quamvis potentia intellectiva sit ejusdem lineæ cum intellectione actuali, constitui debet in Deo, ut virtualiter ab illa distingue.

Respondeo intellectum & voluntatem in Deo, posse dupliciter comparari: Primum in ordine ad actus intelligendi & volendi, quatenus essentiales sunt, & prout respiciunt essentiam divinam, per modum objecti specificativi: Secundum in ordine ad eodem actus, ut notionales sunt, id est, ut tangentes & connotantes personas procedentes, & productas. Si hoc secundum modo considerentur, habent in Deo rationem potentiae generativa, & spirativa: quia sicut datur potentia

A ad terminum procedentem & productum, ita & ad actum notionalem, formaliter quâ talis est, & ut connorat personam divinam productam: secus autem si considerentur primo modo, quia sub hæc ratione, ab intellectione & voluntate essentiiali, ne virtualiter quidem distinguntur.

Ad aliud exemplum de potentia ad extra operativa, similiter dicendum est, quod ad actionem creaturarum productivam, ut formaliter tangit terminum factum, & ad extra productum, vel productum, datur principium & potentia, sicut ad ipsum terminum: quia sub hac formalitate, & connotatione, virtualiter distinguuntur ab intellectu, & voluntate, qua ut dice-

B mus in Tractatu de Scientia Dei, sunt in Deo potentia ad extra operativa, & producunt res ad extra per actionem imperii. Ad ipsam vero actionem, in sua entitate & actualitate, & ut praecise actus secundus est, non datur potentia in Deo, nisi secundum modum intelligendi & significandi, & non ex parte rei concepta, ut expressè docet S. Doctor infra qu. 25. art. 1. ad 3. his verbis: Dicendum quod potentia in rebus creatis, non solum est principium actionis, sed effectus: sic igitur in Deo salva, ut ratio potentie, quantum ad hoc quod est principium effectus, non quantum ad hoc quod est principium actionis, nisi forte secundum modum intelligendi &c.

C Objecies quartò: D. Thomas i.p. dist. 7. qu. 75. art. 1. ad 2. dicit, quod inter essentiam & operationem, cadit virtus media, differens ab utræque, in creaturis realiter, in Deoratione tantum. Ergo D. Thomas inter essentiam divinam & intellectualem, quæ est operatio, mediata facultas proximè intellectiva, virtualiter ab utræque distingue.

Respondent aliqui, D. Thomam loquuntur distinctione ex modo significandi, & rationis ratiocinantibus; non autem ex parte rei significatae, & rationis ratiocinatae, quæ virtualis appellatur.

Sed melius respondetur, D. Thomam ibi manifeste loqui de potentia divina, ut notionalis est, & ut respicit actum generandi: sub qua ratione virtualiter distinguuntur à natura divina, ratione connotationis quam dicit ad terminum, seu personam productam, utantea expressimus; ac proinde sub hæc ratione, veluti mediat, inter essentiam & actum notionalem. Unde post verba in argumeto relata addit: Et talis actus est generare, & ideo secundum modum intelligendi, natura non est principium ipsum, nisi mediante potentiam. Quibus verbis manifeste declarat, selenquo de intellectu divino, per ordinem ad actum notionalem.

ARTICULUS IV.

An in divino intellectu salvetur formalitas species, & habitus?

S. I.

Vtraque difficultas resolvitur.

D Ico primò: Salvari in Deo formaliter rationem speciei intelligibilis. Est contra Suarem disp. 30. Metaph. sect. 1. Heric tract. de scientia Dei, disp. 2. & alios recentiores.

Probatur primò conclusio ex D. Thomas infra quæst. 14. art. 2. ubi docet quod Deus se per seipsum intelligit: id est se ut objectum, per seipsum ut spe-